

mineæ vetustæ seu chartæ Statutorum ac cære-  
moniarum regularium tempore sancti Simperti  
usitatorum, præsentationi, receptioni, requisitioni,  
transumptioni ac auscultationi omnibusque aliis et  
singulis præmissis, dum, sicut præmittitur, fierent  
et agerentur, una cum prænominatis testibus præ-  
sens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et  
audivi. Idcirco præsens publicum transumpti instru-  
mentum per me fideliter scriptum exinde confeci,

subscripsi, publicavi, et in hanc publicam formam  
redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis  
signavi rogatus pariter et requisitus in fidem et testi-  
monium omnium et singulorum. Attamen ut veritas  
magis elucescat, et fides plena adhibeatur, reveren-  
dus semper ac colendus dominus Waltherus sæpe di-  
ctus abbas Murbacensis præsens publicum transumpti  
instrumentum sigilli ipsius appensione communiri  
fecit ac jussit.

## S. SIMPERTI EPISTOLA ENCYCLICA.

(Apud Mabillonium, Analect., p. 418.)

Reverentissimæ matrifiliæ ill. Sindbertus, dono  
Dei vocatus episcopus atque abba de monasterio Mor-  
bac, in Domino æternam salutem.

De cætero comperiat melliflua charitas vestra eo  
quod frater vester nomine ille vel ille, de hac luce

migravit (ut credimus) ad Christum, qua ex re obnixè  
obsecramus almitatem vestram, ut pro ipsius anima  
sic jubemini (sic) agere de psalmis seu missis atque  
vigiliis, ceu ingens bonitas vestra consuevit. Optamus  
vos bene valere.

## EJUSDEM INDICULUS AD EPISCOPUM.

(Mabill., ibid.)

Domino reverentissimo episcopo ill. Sindbertus,  
gratia Dei vocatus episcopus atque abba de monaste-

rio Morbac, una cum fratribus, æternam in Christo  
C Jesu Domino nostro salutem, etc., ut supra.

ANNO DOMINI DCCCIX.

# SANCTUS LUDGERUS

MIMIGARDEFORDENSIS EPISCOPUS.

*Bp. of Münster*

## NOTITIA HISTORICA IN SANCTUM LUDGERUM.

(Apud Mabill., Act. Ord. S. Bened., sæc. iv.)

1. Ludgerus seu Ludgerus, aliis Luidgerus, Luidige-  
rusve, primus Mimigardefordensis, nunc Monaste-  
riensis, Ecclesiæ episcopus apud Westphalos seu oc-  
cidentales Saxones, qui Frisis et Francis Ripuariis  
finiti ni sunt, a multis scriptoribus celebratus est.  
Primus (ut puto) Alfridus, Luidgeri post Gerfridum  
successor, is qui anno 849 vivere desiit, de Vita  
sancti Patris Luidgeri aliquid agressus est scribere,  
« quatenus tam veneranda illius exempla multis ad  
ædificationem proficerent », nefas putans « tanti  
viri latere virtutes ». Quæ prologi ejus verba satis  
indicant, neminem ante eum id præstitisse. Alfridi  
lucubratio duobus libris contenta, in Martio Bolla-  
ndiano edita primum est cum eruditissimis commentariis.  
Idem argumentum duobus itidem libris retractavit  
anonymus monachus Werthinensis, quædam subinde  
admiscens nonnihil ab Alfridi narratione discrepan-  
tia: cujus auctoris scripitionem ex Fuldensibus men-  
bris eruit Christophorus Browerus, qui Othelgrim-  
um Luidgeri socium ejus conditorem esse existima-  
vit. Verum auctor ejus Vitæ scribebat post annum  
864, ut patet ex lib. II, cap. 26. Tertiam Vitam hi-  
is etiam libellis constantem, quæ ex duobus prio-

ribus conflata est, typis vulgavit Surius in prima sui  
operis editione (nam Browerianam loco ejus substi-  
tuerunt tertii editores collectionis Surianæ). Quarta  
rhythmica est, a monachis Werthinensibus in modum  
litanicæ jussu Bernardi abbatis condita sub annum 1140,  
partim in Martio Bollandiano edita. Browerus addit  
aliam ab Uffingo monacho compositam sub initium sæ-  
culi x, quæ forsitan non alia est quam metricum Luid-  
geri elogium a Bollandianis itidem vulgatum, qui etiam  
aliam recentioris auctoris se legisse testantur. Pri-  
mam ex his et secundam hic exhibere visum est, tum  
quia utraque auctoris est fere æqualis, tum quia  
Broweriana nonnulla continet quæ in Alfridia-  
na non leguntur. Primos Vitæ Luidgerianæ scrip-  
tores Werthinensis litanicæ conditor ait fuisse « Othel-  
grimum discipulum ejus, Alfridum Monasteriensem  
episcopum, et Uffingum cœnositam Werthinensem. »  
Othelgrimo tanquam primario auctori tribuisse vide-  
tur secundam Vitam, quæ tamen paulo serius edita  
est quam Othelgrimi ætas ferat.

2. Præter hos auctores alii non pauci de eo agunt,  
Dithmarus Merseburgensis episcopus in Chronico,  
Joannes a Leidis in Chronico Belgico, Joannes Beka